

Franckesche Stiftungen zu Halle

Programma Inaugurale De Disciplina Scholastica Quo Lectiones Suas In Schola Lennepensi Inchoat Simulque Ad Audiendam Orationem De Necessario Inter ...

Francke, Daniel Christian

Tremoniaë, [1730?]

VD18 13418912

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201447



Reipublicæ seminaria, quæ scholas
publicas appellamus, multis indi-
gere rebus, in confesso est. Non
enim solum praeceptores eruditi et
fideles, non discipuli tantum pii
et diligentes requiruntur; sed et-
iam libri exquisiti, bona in docen-
do methodus, Patronorum favor,
Amicorum preces et alia plura,
quæ hic ordine recensere nostri non est instituti. Inprimis
autem, si non omnium maxime necessaria, huic tamen
vix secunda res est morum illa directrix, quam *Discipli-
nam* vocare solent. Hæc sicuti in universa Republica et vi-
ta communi omne punctum fert, (ita, ut Cicero,
Ro-

Romanorum Consul prudentissimus de illa dicere non erubescat: Disciplina dilapsa et Respublica et nomen Romanum corruet) sic quoque in re scholastica tam amplum usum habet, ut sine illa reliquus labor omnis irritus sit et fructu plane careat.

Sciendum est autem, vocis disciplinæ usum late alioquin patere: etenim non discentium solum quorumcunque sub magisterio status disciplina appellatur: sed ipsarum etiam præceptionum et rerum, ex quibus artes efficiuntur, comprehensio, disciplinæ titulum habet: imo castigatio illa, qua inobedientes et immorigeri vel baculo vel virga ad officium rediguntur, nomine disciplinæ plerumque venire solet.

Quod autem scholasticam attinet disciplinam, eamque christianam, de qua nobis hic sermo est, illam imprimis intelligimus scholastici muneris partem, qua, sub manu ductione pii, docti et fidelis præceptoris, discipulorum mores reguntur ex præscripto divinarum litterarum, et quæ his consentanea sunt, statutorum scholasticorum: ita ut dicta et facta illis contraria improbantur et reiiciantur, pariter atque errandi peccandique occasio, illecebræ et instrumenta, et quæ modocunque bonis moribus et solidæ eruditioni moram et impedimentum afferre possunt, e medio tollantur.

Hæc autem disciplina nihil aliud est, quam veræ pietatis usus, veræ inquam pietatis, non fucatæ hominum perversorum, ubi, sub assumpta pietatis larva, crassissima vitia foveantur, imo clanculum committuntur, (a) cujus furfuris homines haud pauci sese gregi Christi associant, sed eorum merces erit secundum opera ipsorum. De hoc veræ pietatis usu, tanquam ipsa disciplina in scholis necessaria, egregie loquitur vir de

A 2

re

(a) Breithaupt. in Thesibus p. m. 78.

re scholastica optime meritis Vockerodtus, Gymnasii, quod Gothæ floret, Rector celeberrimus, in suis, quas eleganter et solide scripsit, consultationibus, (b) ubi inter alia, quis inquit, aliam morum disciplinam in schola a me exspectet, quam eam ipsam, quam divinæ litteræ nobis inculcant: quam illam, quæ omnibus ad imaginem Dei per Christum instaurandis et ad indubitatam æternæ salutis spem adducendis necessaria inculcat capita, *pœnitentiam seriam*, et cum manifesta mentis, et morum mutatione conjunctam: *fidem* in Christum, eamque divinam, non opinione quidem, et confidentia inconsulta fictam; sed a Spiritu sancto in contritis, suæque labis consciis pectoribus accensam: atque ex hac proficiscentem veram sinceramque *sanctitatem*, qua, quicquid ad genuinam morum elegantiam et vitæ decus pertinet, abunde continetur? Hæc salutem, pacem, libertatem, omnemque felicitatem in viva cognitione et sincero obsequio Domini Jesu Christi ostendit. Hæc repræsentatis scholasticæ operæ pretiis præmiisque sempiternis, incautos revocat ab erroribus juventutis, a gaudiis caducis, voluptatibus brevibus et irritis, vacuisque votis rerum periturarum ad spes solidas, stabiles, maximas. Hæc revocatos sanat, fovet, incitat, confirmat, mitigat, auspicio ductuque gratiæ castigantis: laboribus utilibusque operibus exercet ac præparat ad usum reipublicæ et ecclesiæ salutarem. Hæc denique disciplina ex hominibus reddit veros christianos, cum antea etiam honestissimi et singulari cura educati nil aliud sint, nisi hostes crucis Christi, (c) quorum venter Deus est, quorumque gloria est in turpitudine. Et cum hac disciplina merito omnes, quorum curæ juvenus scholastica est concredita, sine dubio initium laboris sui facere, imo non initium saltem facere, sed sic etiam progredi et finire debent, si teneras plan-
tas

(b) Consultatione l. §. IV. (c) *Bienhaupt in thelibus p. m. 8.*

tas non Molochio immolare, sed Christo, cui jam tum in sacro fonte oblatus sunt, adducere ament.

Cum autem homines natura non omnes sint honesti, sed plurimi pecorum et brutorum more in variis, etiam crassissimis se volutent vitiis, non potest negari, huic, de qua diximus, disciplina, quæ cum pietate una est, aliam sæpe debere antecedere, nempe crassiorum vitiorum correctionem: qua illi, qui in scholis docent, malis juvenum moliminibus, variis, paternis tamen remediis obicem ponere, et ferocitati frenum adhibere solent, cum scilicet eorum contumacia tanta est, ut adhibitis consumentisque frustra omnibus aliis remediis expugnari nequeat, quod sicuti in scholis quam optime fieri potest, ita ad hanc rem neminem aptiorem, nisi scholæ magistros esse, quilibet concedit facile. Sunt quidem qui hoc et omne disciplinae genus Magistratui et Principibus imponere volunt, dicentes: olim ita fuisse, ut Magistratus atque Principes curam hujus rei habuerint: (d) (e) sed tamen, quod quis per alium facit, id ipse fecisse videtur, in proverbio est. Ergo Principes etiam et Magistratus jure possunt et debent alios designare atque in magistrorum

A 3

rum

(d) Anton. Faber de relig. regenda in Republ. L. I. n. 46. p. 186. edit. Francof. 1665. scribit: Quamvis post Nicenum Concilium magna esset patrum autoritas, multumque de jure suo Principes concessissent, plusculum etiam imperii ipsis largiti essent: nullam tamen in scholas potestatem, ne a Principibus quidem delegatam habebant. *Earum enim rationem Principes ipsi sibi reservarunt.*

(e) Joh. Brunnemann, celeberrimus Jctus, Comm. ad ff. l. 5. ad leg. Aquil. addit causam, cur id fieri oporteat. Rideat aliquis forte, scribit, me eam curam Magistratui, imo summæ potestati transcribere: sed credat quæso Lector, magnam status publici rationem consistere in apta juventutis utriusque sexus informatione et educatione, nam, si pessime moratos juvenes habeamus et puellas, non melior erit ætas adultior, et sequentur calamitates publicæ, quibus frustra se opponet humana sapientia.

rum ordinem cooptare, dummodo ad hoc negotium satis apti et probati sint, et Magistratus curæ hujus partem maximam in se retineat.

Sunt etiam, qui hoc disciplinæ genus plane e scholis eradicare amant, (et o si commode fieri posset, quam felices essent praeceptores!) sed parum prudenter. Hac enim sublata vel tantum imminuta actum esset de scholastica institutione, nec salva diu manere possent optima instituta. Quibus enim non est perspecta ætatis juvenilis impotentia, licentiæ vis, intempestiva parentum indulgentia et solemnia nequitia patrocina, nec non disciplinæ conservandæ et religiose administrandæ difficilis ex se ratio, etiam ubi praeceptorum salva est autoritas et integra potestas. Quapropter vir quidam de externæ disciplinæ necessitate satis persuasus, magistri inquit, optimæ etiam notæ, destituti disciplina externa non magis ab obnoxio discentium gregē tuti esse possunt, quam fortissimi belli duces a gregariorum militum impetu, sublata disciplina militari.

Abfit tamen longe, ut hinc externæ, quam quasi abusive disciplinam appellamus, majorem vim atque efficaciam tribuamus, quam internæ et divinæ morum mutationi, quæ verbo et spiritu Dei dirigitur; Nam hæc sola prora et puppis, initium atque finis scholasticæ vitæ esse debet, sine qua alterum disciplinæ genus magis nocet, quam juvat, sicuti experientia ubivis locorum satis testatur. Et licet externa quoque disciplina basin suam et fundamentum in codice sacro habeat, (f) noli, dicente, subtrahere a puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur. Et alio loco: (g) qui parcit virgæ, odit filium. Porro: (h) curva cervicem ejus, in juventute etc. Et iterum: (i) stultitia colligata est in corde

(f) Prov. XXIII, 13. (g) Prov. XIII, 24. (h) Sirac. XXX, 12.
(i) Proverb. XXII, 15.

corde pueri, sed virga disciplina eradicabit illam. Præcedunt etiam et sequuntur alia monita de vera ac divina disciplina seu mutatione cordium, e.g. (k) Fili mi, esto obediens disciplinæ patris tui, neque negligas mandatum matris. Et paulo post: (l) Fili! custodias præcepta patris, et instituta matris ne omittas. In novo Testamento autem imprimis in scriptis Pauli omnes fere paginæ hæc disciplina sunt repletæ. (m)

Ergo omnino longe uberiori modo interna seu cœlestis disciplina vigere debet, quam externa. Et licet non negem, multos imo plurimos aliter rursus de hac re sentire, et externam, quam diximus disciplinam, internæ et divinæ præferre, ita, ut Orbilii more, statim leve aliquod delictum vehementi pœna cocerceant, et nullam prorsus animi et animæ discentium rationem habeant: attamen cum his non esse consentiendum, puto, quippe qui jurgiis, minis et verberibus protervum gregem sub legem quidem mittunt, (ex quo fit, ut impotens ætas suspensa quiescat paulisper, sed impietatis semina altius concipiat: et e contrario erectis ingeniis inepta incutiatur tristitia, moresque inficeti) sed tali modo regnum Christi, ad quod omnino in scholis respectus haberi debet, non extruitur, sed destruitur, ejusque regni subditi non reguntur, sed confunduntur.

Valde igitur necessarium erit, ut statim sub initium laboris scholastici, quem Deo O. M. adjuvante sumus auspicaturi, et in qua, ut audivimus, disciplina recte vigere debet, ante omnia internam illam ac divinam nobis curæ cordique esse sinamus. Sic, ut speramus, externa illa humana, si non plane, tamen multa ex parte supersedere poterimus. Et tali modo labor scholasticus, quem sane herculeum dicere possumus, non

so-

(k) Prov. I, 8. (l) Prov. VI, 20. (m) legantur hunc in finem Rom. XII. XIII. XIV. XV. et Ephes. IV. V. VI.

solum docenti, sed etiam discantibus erit dulce jugum, negotiosa tranquillitas, diuturna brevitās, et medicinalis molestia. Nemo in labore tedium, in obedientia obstinationem, in pietate simulationem, et in tota vita aversionem sentiet, sed potius omnia libere, sponte et cum jucunditate procedent. Deus nos fovebit, parentes amabunt, amici et omnes boni æstimabunt, et sic indies magis atque magis crescemus in sapientia, ætate et gratia coram Deo et hominibus.

De hac disciplina, quod cum eruditione et doctrina in scholis omnino debeat conjungi, in oratione inaugurali, Die Febr. B. c. D. habenda, pluribus edisseremus. Ad quam benevole audiendam, omnes Musarum Antistites, Patroni et Amici, et qui modocunque rem scholasticam amant, quo par est observantiæ cultu atque honore diligentissime invitamus. Ex ea, qua me ignotum amplexi sunt benevolentia, spem concipio fore, ut præsentia sua honoratissima primæ huic solennitati scholasticæ adfuturi, atque pro salute scholæ, tanquam reipublicæ seminario maxime necessario preces ad Deum missuri sint. Quam ego benignitatem non grata solum memoria, sed, si quibus potero, etiam officiis imprimis suspiriis ardentissimis nunquam non libenter sum compensaturus.

